



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 8. Arborum, & siluularum deliciæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

rium, statuitur inter flores; reclinatur in mollissimo gramine, ut in herbis capiat soporem; excitatur ad auroram; inuitatur ad rosaria; vagatur inter meras fragrantias, instar apis.

Ouid. 12.  
mera-  
morph.

*Vt modo rore maris, modo se violæ, ro-  
sæ*

*Implicet, interdum, candentia lilia gestet.*

§. VIII.

*Arborum, & silularum delitia.*

Nec stiva opus erat, nec sarculo. Omnia sponte sua tellus inarata ferebat; fecunda pariter & ornata. Siquidem, præter huiusmodi humiliorem telluris gratiam, & quasi vestem elegantissimam, aderat etiam maiorum copia plantarum; ramique arborum folijs venustissime strepentes, & fructibus gratissime onusti. Quis stirpium fructiferarum ordines? quis succorum & balsami odoratas lachrymas? quis lignorum perpetuo virentium amœnitates, quis cælum æquantes & voluptatis causa conditas arbores, dignè possit oculis subijcere? Ibi platanus irrigua; sublimis abies, excelsum pinus, spirantes cupressi, vni que circa quas hedera serpebat nigris prædita folijs, corymbos quatiens; ibi florètes oliuæ, dul-  
cescen-

cescentes fici, amygdali pingues, quercus  
ymbrosæ: ibi pulchra cerasus, mellea pal-  
ma, malus citrea: seu, vt nunc vocant, Me-  
dica; & ea, quæ aureis pomis reluet: ibi vi-  
tis racemorum mater, & palmitum imple-  
xi ordines, inter quos hærebat liuens vua  
succum nectareum continens, & gemmæ  
instar, folijs interlucēs, sole in eam partem  
incidente. Ad hanc formosam arborum  
plantarumque mixturam accedebat sua-  
uissima inumbratio viarum. Nam vicina-  
rum rami arborum sociati, velut porrectæ  
manus, mutuò se contingebant, & folia si-  
bi allubentia, amabili sese complexu, exci-  
pere videbantur. Vento autem in ramos ac  
frondes delato, suauissimum quoddam mur-  
mur foliorum efficiebatur; cui vitam addi-  
derunt lusciniæ, & canore voces aliarum  
auicularum se alternatim prouocantium,  
& vincere cantu conantium. Quid verbis  
exprimere laboro, quod nullis sensibus fa-  
tis ibi potuit percipi? Omnia in summo e-  
rant. In pratis herbæ decorem venum; in  
fruticibus coriandrum, cucumeres, pepo-  
nes; in arboribus rami maturos vndique  
fructus; in bestijs natura hilaritatem; in  
rebus omnibus hortus perfectionem habe-  
bat.

bat. Non extabat quidquam expers gratiæ  
venustatiſque ſuæ, non quidquam imper-  
fectum.

## §. IX.

*An, & cur, in Paradiso etiam non fructi-  
fera arbores fuerint?*

Beda in  
Hexaem.

Eti enim quasdã arbores nominavi-  
mus nõ fructiferas, quas aliqui censent, vel  
in Paradiso non fuisse, vel fructiferas ex-  
titisse; haud tamen illis accedimus. Quis  
enim non verisimilius existimet, tot tam-  
que præclaras arborũ species Paradiso non  
defuisse? quæ etsi fructũ non gignant esui  
humano idoneum; sunt tamen ad multa  
vtilis, sunt aspicientibus gratæ, sunt cete-  
ris intersertæ oppidò elegantes. Caprifici  
ficus, vt scribit Plutarchus, nunquam ma-  
tureſcit; sed tamen vtilis est; gignit enim  
culices, qui deuolantes ad veram ficum,  
perfosso fructum cortice, in maturitatem  
educunt. Xerxes in Lydia, cum vidisset  
proceram platanum, diem solidum, ad ean-  
dem, exegit, nulla postulante necessitate, &  
castra posuit, circa illam; quin & curato-  
rem ei reliquit, quasi custodem. Erat &  
Romanis hæc tam grata arbor, vt eam vi-  
no irrigarint. Quis iudicet Paradiso indig-  
nam!

Ælian.  
l. 2. c. 14.